

Wienberg

1834



16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32



DE

ADVOCATIA

ARMATA

DISPUTATIO INAUGURALIS.

QVAM

Divini Numinis annuente Gratia

Ex Decreto & Auctoritate

*Magnifici, Nobilissimi & Amplissimi, Jcto-
rum Ordinis, In celeberrima Argento-
ratenſium Univerſitate,*

PRO

Inſignibus, Privilegiis, & Immunitatibus
Doctoralibus, in utroque Jure
obtinendis

*Solemni ac Publica Diſquiſitioni
ſubmittit*

JOHANNES MARBACHIUS

Argentoratensis.

Ad D. 20. Aprilis.

⦿:)(o)(:⦿

ARGENTORATI

Typis BERNEGGERIANIS

ANNO .cb lbc LIV.

75
Sup. X

16544

21

iam aff-
rius vo-
erbi gra-
il fuerit,
de Sord.
yniuerſis
itur, qui
inianum
& Fride-
egno Ita-
& in pri-
us vſum
, & feli-
a beſt, vt
um reſti-
nſcit ſub
s, vt ſibi
nis bonis
cum in-
LTORUM
no, quam
erem, nō
o Tribu-
i Tyran-
eceſſitas
ola pere-
. Quem-
præclara
4. & in
orem re-
onem ni-
que diffi-
blorator,
orem



V I R O

NOBILISSIMO ET AMPLISSIMO
Dn. JOHANNI JACOBO Frisch. Jcto. Inclytæ
Reipub. Salvifontanæ Advocato, & Syndico,
nec non aliorum S. R. J. Statuum Consiliario
meritissimo, Socero suo cum obser-
vantia colendo.

Disputationem hanc suam Inauguralem merito dedicat & offert.

JOHANNES MARBACHIUS



C. B. D.
DE ADVOCATIA ARMATA
DISSERTATIO.

Thes. I.



Uemadmodum Militiæ dūplicis in
jure nostro subinde fit mentio, Armatae sc. ut
in L. i. C. de Jur. & Fact. ignor. & passim in Ju-
re, præsertim ubi de Militari Testamento agi-
tur: Et Togatae: L. ult. C. de Inoff. Testam. t. t.
C. de Advoc. Divers. Judicior: Ita quoque Milites reperiun-
tur duplices, in utraque militantes, quorum differentiam vel
sola L. 14. d. t. C. de Advocat. Divers. Judic. (ubi Imperatores
Leo & Anthemius, utriusque generis Militum elogia asse-
runt: de Armatis, quod Ipsi, adeoque Reipub. militent, de
Togatis, quod Armatis æquiparandi sint, ibi. Nec enim solos
Imperio nostro militare credimus illos, qui gladiis, & clype-
ris, & thoracibus nituntur, sed & Advocatos; militant nam-
que causarum Patroni, qui gloriosæ vocis confisi munimine,
laborantium spem, vitam & posteros defendunt) monstrare
poterit. Cæterum cum in Jure Feudali præcipue Militum
ratio habeatur, qui diversimode Dominis suis servire solent,
& inter reliquos etiã illos observarimus, qui Advocatiis præfi-
ciuntur, ut in c. 1. §. 8. de Pac. tenend. 2. F. 27. occasionem hinc, ut
& inde sumpsimus, quod vidissemus superiorib. annis, multos
cum defensionem suamet ipsius impares sibi viderentur, prote-
ctionem sese Potentiorum commisisse, neque sine difficultate
inde extricasse (unde Materiæ utilitas satis superque elucet)
in præsentiarum aliquid differere.

Proemium
Th. I.

A 2

Ut



*Dispositio
Operis.*

2. Ut autem iuxta Methodus observetur, totam Dissertationem divido in partem Generalem, & Specialem: Generalis constabit ex Definitione & Divisione; Definitione tum Nominis, tum Rei. Specialis continebit Causas tam internas, quam externas, Effectus, Dissentanea, & Affinia.

Etymologia.

3. Advocatiæ appellatio deducitur ab Advocando, eo quod Potentiores ad Tutelam & Defensionem Clientum imbecilliorum vocentur, quamvis enim secundum Varronem lib. 5. de Ling. Latin. Advocare in generali sua significatione convocare significet, proprie tamen ad jus pertinet, & homines Patrocinii, Testimonii, vel Consilii causa convocare denotat, uti passim in Jure hujus vocabuli usus reperitur.

Synonymia.

4. Synonyma porro Advocatiæ apud Latinos occurrunt plura. (1) etenim Latini antiquiores jus hoc nostrum Patrocinium appellarunt, qua de re disquirentem vide Bodin. 5. de Repub. cap. 6. num. 585. ubi scribit, id quod Latini Patrocinium vocant, id Juniores Advocatiam nominasse. (2) vocatur Clientela, idem Bodin. de Repub. lib. 1. c. 7. pr. quamvis ea vox magis apud Authores priscos, quam modernos Juris interpretes reperiat, C. I. A. lib. 37. tit. 14. th. 1. (3) Jus Tutelare. (4) Protectionis, de quibus Gail. 2. Obs. 54. Germanis vocatur *Schutz und Schirm / Schutz und Schirms / Gerechtigkeits / Vogten / Castenvogten*: (in primis in Advocatiis Ecclesiasticis) *Verthädigung / Hülf / Handhabung / Manutention* / de quibus, ut & aliis vide sis Martin. Mager. à Schönberg / de Advocatia armata cap. 2. num. 209. & seqq.

Homonymia.

5. Multiplex autem in Jure nostro Advocatiæ significatio est, è quibus frequentiores saltem pro instituti ratione, & brevitate studio recensere animus est, (1) enim sumitur pro Patrocinio Advocatorum Judicialium, prout sumitur in t. t. ff. & C. de Postul. quæ vero significatio hujus loci non est. (2) Usurpatur in Jure Feudali, pro Feudo Advocatiæ, quando nimirum certa quædam res in Feudum datur, eo fine, ut negotia Domini à Vasallo in Judicio agantur: juxta Gothof. Anton.

D. Feud.

17
D. Feud. i. th. 7. lit. R. (3) Pro negotii alicujus Publici procur-
ratione, qui Procuratores juxta hodiernum stylum Pragmati-
corum Commissarii appellantur. c. 1. §. 8. de Pace tenend. 2. F. 27.
Calvinus in Lexico hoc vocabulo. (4) Pro ipsa Jurisdictione,
Wehner. Obser. Pract. lit. S. voce *Schirmsverwante*/item lit.
v. voce *Bogten*. (5) in Jure Can. pro Jure Patronatus, ut in
cap. 24. pr. ibi. Cum Advocatus Clericum Idoneum Episcopo
præsentaverit. x. de Jur. Patron. (6) Pro jure Protegendi, seu
Protectionis, quo nomine appellatur in cap. 8. x. de Privil. &
excess. Privileg. quæ significatio hujus loci propria est, qui
enim alios in Clientelam suscipiunt, Protectores dicuntur.
Gail. 2. Obs. 54. num. 1. & 2.

6. Definitur igitur Advocatia nostra, quod sit jus defenden-
di in Clientelam susceptos, eorumque bona, contra vim &
injuriam aliorum, sub annuo honorario, vel etiam gratis, Jure
constitutum, vel conventionem, aliisque modis introductum.

Definitio.

7. Dico esse jus, sumpto vocabulo juris in ea significatione,
qua potestatem aliquid agendi vel faciendi denotat, ut in Rub.
& §. ult. J. de his qui sui vel alin. Jur. sunt. L. 2. ff. eod. C. J. A.
lib. 1. tit. 1. th. 5. nu. 7. quæ potestas cum latius pateat Advocacia
nostra, & omnis Advocatia quidem jus sit, sive potestas, non
vero contra, igitur recte hic loco Generis ponitur.

8. Quia vero Definitio solius Generis explanatione non ab-
solvitur, sed Differentias quoque, quibus à cæteris speciebus,
sub eodem Genere comprehensis differat, requirat, ponitur in
definitione vocabulum Defendendi, in lata sc. significatione,
quatenus idem significat, quod prohibere, & propulsare, item
conservare & tueri, cum alias in stricta sua significatione duas
posteriores species excludat, uti post Connan. lib. 7. c. 14. n. 8.
Calvin. in Lexic. hac voce notat. Protector enim Clientes
suos non modo contra vim & injuriam jam illatam defendere,
eamque propulsare, verum etiam jura eorum, contra
quemcunque, quo vis modo facta tæctaque conservare debet.
Martin. Mager. à *Schönberg*/de Advoc. Arm. cap. II. num. 115.

71
Diximus ulterius, sub annuo Honorario, quia plerumque, sicut Advocati Forenses, ut operam suam præstent Clientibus, mercedem ab iis licite stipulantur, vel certum Salarium. L. un. C. de Suffrag. L. 1. §. 10. ff. de Extraord. Cogn. Jul. Pac. in Anal. Cod. tit. de Postul. §. 27. & seqq. ita quoque æquum est Protectionis nomine Protectori aliquid solvi, maxime si id stipulatus fuerit: Alias, cum de substantia protectionis non sit, ut præcise aliquid solvatur, gratis quoque fieri poterit, arg. L. 1. §. 4. ff. Mandat. Bodin. 1. de Repub. cap. 7. n. 66.

Diviso

9. Divisiones juris, de quo disputamus, plures à Dd. adducuntur, è quibus (1) & sūma hæc est, quod sit aut Divina, aut Humana. Divina illa est, qua Deus Optimus Maximus omnia à se creata protegit, ac conservat, unde Psaltes Psalm. 26. v. 1. Dominus Protector vitæ meæ, à quo trepitabo: Quæ rursus vel est immediate Divina, de qua hæcenus; vel mediante Sanctorum Angelorum ministerio, unde textus in Ps. 91. vers. 11. Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te, in omnibus viis tuis te conservent: ambabusque ulnis sustineant, ne ad lapidem pedem tuum offendas, cujus Protectionis disquisitionem, & ulteriorem explicationem, merito Theologis relinquimus.

10. Humana Protectio commodissime dividi potest, (2) in Ordinariam, & Extraordinariam. Ordinaria est illa, qua omnes Magistratus subditos suos jure Magistratus protegent, Bodin. 1. de Repub. cap. 7. num. 66. Recessus Imp. de Anno 1518. Augustæ habit. §. 1. ibi. *Als erwöhltẽm Römischen Keyser / vnd der Heyligen Christlichen Kirchen rechten Vogt / Schut / vnd Schirmherm:* Constit. Frid. de Pac. tenend. 2. F. 27. Verum de hac specie disputare non est hujus loci.

11. Extraordinaria (3) dividitur in Extraordinariam proprie sic dictam, quando nimirum Imperator, vel alius Magistratus præter ordinariam Protectionem, specialem, singularem, ac privilegiatam largitur; quæ peculiari nomine Salvaguardia vocatur: & in Advocatiam communem, quæ utraque ratione conditionum quas recipiunt, diversimode dividitur. Illa in
Impe-

Imperialem, & non Imperialem: Sæcularem & Ecclesiasticam: Absolutam & Limitatam: Quæ adversus certas personas datur, & quæ in genere conceditur: Quæ Diplomatis vel literis patentibus, vel impositione armorum, vel denique appositione custodum conceditur.

12. Advocatia communis illa est, quam supra definivimus, hujusque loci propria, quæ dividitur (1) In Legalem & conventionalem. (2) In Mandatam, & non Mandatam, (3) In Simplicem, & cum Administratione conjunctam. (4) In Simplicem & cum Jurisdictione (5) in Temporalem & Perpetuam, illam **Temporalschus** / hanc **Erbeschus** / seu **Erbvogtey** appellamus (6) In Personalem, id est, ad certas & nominatim expressas personas Protectorum adstrictam, & Hæreditariam (7) In Superiorem & Inferiorem, quarum hæc est Comitū sub Principe quodam habitantium, illa ipsorum Principum, & nobis vocatur **die Ober-Vogtey** / & **Oberschus** / inferior **Ufferschus**. Wehner. Observ. Pract. voce **Vogtey** / p. m. 334. (8) In Ecclesiasticam & Sæcularem. (9) In Universalem & Particularem, respectu nimirum Clientum. (10) In Publicam & Privatam, prout Universitas quædam, vel personæ privatae defendendæ veniunt. (11) In Personalem, Realem, & Mixtam, respectu nempe Clientum. (12) In Gratuitam & Mercenariam, de qua divisione vide Bodin. 5. de Repub. c. 6. p. m. 910. vers. ac tametsi. (13) In Feudalem & non Feudalem. (14) In eam quæ est cum Incolatu, & sine Incolatu. (15) In Puram, & Conditionalem. (16) In Reciprocam & non Reciprocam (17) In Armatam & Togatam: Atque hæcenus de parte Generali.

13. Sequitur Specialis, & causam quidam Efficientem Remotam quod attinet, illam statuimus esse Jus Gentium, Advocatiæ siquidem jus est antiquissimum, & ante Romuli tempora, non modo Græcis, sed etiam Celtis, Illyriis, Asiaticis, & Aegyptiis usitatissimum, ut tenues à potentiorum vi & injuriis tutiores essent, teste Bodin. 1. de Repub. cap. 7. num. 67. vers. denique. Quod cum & ipsi Romulo commodum, ac Reipub.

Causa Efficiens Remota.

81
Reipub. utile videretur, illud quoque in Rempub. suam in-
trodixit, eo modo, quem describit idem Bodin, ibid. num. 66.
vers. Itaque Romulus.

Propinqua

14. Propinqua causa vel est Lex, vel Conventio partium:
dico Lex, tum Romuli, qui primus hoc jus in Rempub. inve-
xit, juxta modo dicta, tum quia de Jure Can. fundans Ecclē-
siam ejus Advocatiam consequitur: cap. 13. de Elect. in 6. ibi.
Qui autem ab ipsarum Ecclesiarum, ceterorumque locorum
fundatione, vel ex antiqua consuetudine jura hujusmodi sibi
vindican, qualia nimirum in principio ipsius cap. recensentur,
Custodia sc. five Guardia, Advocationis seu Defensionis in
Ecclesiis, Monasteriis, seu aliis quibuslibet piis locis titulus.
cap. 3. x. eodem. Idem juris est in Construente Ecclesiam,
can. 33. xvi. q. 7. & Dotante, can. Nemo de Consec. Dist. 1. Val-
lens in 7. Decret. tit. de Jure Pat. §. 1. n. 3.

15. Diximus Conventio Partium, cum non ex sola Lege,
aut Canone promanet, sed sæpius ex mutuo consensu, aut li-
bera voluntate Partium Clientumque oriatur, quod quotidie
fieri videmus.

16. Consuetudine denique, & usu, Jus Advocatiæ seu Prote-
ctionis, ad exemplum priscaarum illarum Clientelarum apud
Ethnicos usitatarum ad nos Christianos productum, & ad no-
stra usque tempora continuatum est. Gail 2. Obs. 54. nu. 2.
ad fin. ubi Advocatiam nostram ex Budæo, à Jure Patronali,
olim apud Romanos usitato rectissime deducit, atque ab eo-
dem fluxisse adseverat: unde facile colligitur, Consuetudinem
quoque inter causas propinquas Juris hujus numerari posse.
cap. 13. de Elect. in 6.

*Causa Impul-
siva*

17. Quoniam autem peculiare quædam causæ impulsivæ,
Jus Advocatiæ Ecclesiasticæ in specie concernentes hinc inde
occurrunt, paucis quoque de iis agendum duxi: Primum
enim cuius obviu est ex t. t. Ne Cler. vel Monach. Secular.
se negot. immisc. x. & in 6. propter istam interdictionem
Clericos rebus suis, quæ quandoque amplæ satis sunt, super-
esse

esse non posse, quapropter ab Imperatoribus Advocati constituti fuerunt, qui res eorum profanas administrarent, ne alias ipsi à Divinis officiis abstraherentur.

18. Secundo mala quoque Administratio Abbatum & Prælatorum huic juri ansam dederunt introducendo, sicut enim sæpe accidit, ut ex malis moribus bonæ nascantur Leges, ita quoque ex mala administratione, hoc jus natum est, quo magis nempe bona Ecclesiarum in tuto essent, quamvis juxta Apostol. Rom. 3. vers. 8. non sint facienda mala, ut inde fiat bonum.

19. Tertio Ecclesiæ Potentiorum Patrocinio hac de causa opus habebant, ut contra aliorum irruptiones & rapacitates defenderentur, sæpe enim fiebat, ut Ecclesiæ bona à diversis & lucri cupidis eum in modum diminuerentur, ut quandoque Ministris & Pauperibus necessaria vitæ subsidia vix suppetere, huic malo remedium hoc Advocatiæ fuit oppositum.

20. Jam de Materia, quæ duplex est, Subjectiva nimirum, & Objectiva, Subjectiva sunt Personæ Protectorum, Objectiva est Protectio ipsa, tum Clientum, tum bonorum illorum.

21. Personæ quæ Advocationis jus in se suscipere possunt, sunt omnes quæ non reperiuntur expresse prohibita, ex Genere siquidem permissorum sunt, quæ nominatim non reperiuntur prohibita: arg. L. 12. pr. de Judic. L. 43. §. 1. de Proc. L. 28. §. 2. Ex quib. caus. Major. L. 24. §. 1. ff. de Minor. Prohibentur autem omnes, qui Majestatem non habent, vel omnimodam Jurisdictionem, eò quod hæc in Patrocinium receptio, Publici Juris portio sit, quod armis aliquem defendere permittit, in Publicis namque defensio ex sua natura exigit arma. L. 19. ff. ad SC. Silan. quorum vero usus inconsulto Principe omnibus aliis interdictus est, L. un. C. ut armor. us. incio Princ. interdict. sit. lib. II. t. 46.

22. Hac occasione quærere lubet, utrum Infidelis, jura Majestatis, & omnimodam Jurisdictionem habens, à fidele in Patrocinium vocari possit: Ac licet non diffitear, multos quidem

B

dem

dem reperiri, qui affirmativæ subscribunt, præcipue cum hoc jus Advocatiæ & Patrocinii sit Gentium, quod fidelibus cum infidelibus cõmune est, Jus enim Gentium illud est, quo omnes Gentes utuntur. §. I. J. de Just. & Jur. & quod ignoscendum sit ei, qui qualitercunque sanguinem suum redimere satagit. L. I. ff. de Bon. cor. qui mort. sib. consciv. Exemplo quoque Pauli, qui Actor. cap. 23. vers. 17. & seqq. à Præside Ethnico & infidele petiit milites, quorum auxilio defenderetur à Judæis, mortem sibi minantibus: Verum enim vero hæ & aliæ rationes tanti ponderis non sunt, ut fidem mihi facere possint, licere homini Christiano Infidelis auxilium & protectionem implorare, suffultus rationibus sequentibus.

23. Primum enim Omnipotens Deus valde irascebatur populo suo, quoties protectionem sui non sibi; sed infidelibus concederent, uti Esaia 33. pr. & vers. seqq. videre est, ubi populo Israëlitico per os Prophetæ intimavit, fortitudinem Pharaonis ipsis fore in perniciem, & confusionem, & fiducia umbræ Aegypti in ignominiam: Deinde exemplo, & testimonio Negativa hæc Novi etiam Testamenti confirmatur, Apostolus siquidem. I. Cor. 5. vers. 10. & seqq. fideles suos ab omni omnino mixtura cum idolis servientibus dehortatur, ita ne cibum quidem cum ipsis sumerent, tantum abest, ut amicitias tam arctas cum ipsis contrahere licitum sit. Tertio Pietas quoque diversum postulat: Advocatia siquidem summum amoris vinculum necit, quod autem neglectis fidelibus, cum infidelibus jungere impium sane est, & sceleri annumerandum. Facit Quarto summum inde redundans periculum, qui enim ipsi Deo fidelis non est, quomodo hominibus fidem servabit, unde à testimonii quoque dictione arcentur in cap. non potest. II. 24. q. 7. Quinto, proditoris quoque merus negativam hanc firmat, infideles quippe non raro sub hoc prætextu fidelium provincias explorarunt, ipsasque postea ipsimet occuparunt, teste Bod. 5. de Rep. c. 5. p. m. 901, ubi hoc exemplo Caradini piratæ,
Sala-

Salatini Tartari, & aliorum manifestum reddit, vide etiam Arum. disc. Jur. Publ. 31. th. 5. num. 10. & 12. Sexto, Religionis quoque periculum ex tali Advocatia subitur, facile enim evenit, ut hac occasione veræ Religionis dediti corrumpantur, & seducantur, unde quoque conversationem & cohabitationem in fidelium vitandam præcepit Deus, Exod. 23. f. Et qua tandem ratione per Advocatiæ unionem factam, firmiter coherere & conjungi poterunt, quibus & studia & vota diversa sunt. Plura huc spectantia legere qui cupit, videat Arum. disc. Jur. Publ. 31. th. 5. per tot.

24. Rationes autem quas pro Affirmativa attulimus hoc modo refelli possunt, ut Primam quod attinet, inficias quidem non eamus, Advocatiam tanquam Juris Gentium omnibus communem esse, proindeque in assertione causæ efficientis ad illud retulimus. Verum dicendum est, omnia ista recte se habere, nisi principia ipsius Juris Lex Divina moderetur, vel, ut hic, omnino ipsi derogat, uti modo ostensum: Secundo, quod de Redemptione sanguinis dictum est, ad legitimam quoque defensionem, non Legi Divinæ contrariam pertinet. Exemplum denique Pauli non obstat, auxilium enim à Magistratu ordinario, ad salutis suæ defensionem imploravit, quod omnino secundum ordinationem Divinam fieri potest, & debet.

25. Secundo prohibentur Banniti, nullum enim officium, cui dignitas annexa est, Banni tempore durante, Bannitus subire potest, arg. L. 4. §. 2. ff. de re Milit. L. 7. ff. de Muner. & Honor. L. un. C. de Reis. postul. lib. 10. t. 58. Ord. Cam. part. 2. tit. 9. §. So jemand. ibi. Darzu alle Verschreibung/Pflicht und Bündnis/zt. Ab und tod seyn. Deinde Bannitus pro mortuo habetur, instar deportati. Gail. de Pace Publ. lib. 2. cap. 11. num. 12. mortuum autem in auxilium vocare absolum est. Tertio, Bannitus non habet velle, neque nolle, idem Gail. de Pac. Publ. l. 2. c. 13. n. 8. ubi vide omnino, plura qui velit, adeat Wehner. Observ. Pract. voce Acht. Bann.

26. Tertio prohibentur quoque de Jure Can. Excommunicati Excommunicatione majore, hi etenim proscriptis, & ab Imperio Bannitis æquiparantur. Gail. de Pac. Publ. lib. 2. c. 1. n. 26. præsertim cum priventur communicatione cum fidelibus, tam in Divinis, quam in convictu, adeoque illius ratione pro infidelibus habentur, quos Advocatos fieri non posse fidelium supra. th. 22. & seqq. ostendimus, ratione hujus Patrocinium nemini præstare poterunt, quia cum fidelibus ipsis convictus non permittitur, sine quo protectio nullo modo procedere potest, vide cap. 2. x. de Cleric. Excommun. Deposit. &c. Deinde subditi liberantur ab omni obedientia aliâ debita, unde Auxilii ferendi copia ipsis adimitur. can. Nos Sanctorum: xv. q. 6. Tertio testimonio ipsis interdicitur, & aliis rebus ad Postulandum necessariis, veluti Advocacione, Procuracione & similibus. cap. fin. x. de Procurat. And. Vallens in σ . Decretalium, tit. de Sent. Excom. §. 3. per tot. multo igitur minus protectores esse poterunt.

Objectiva. 27. Sequuntur post Procuratores & Protectores Clientum quoq; personæ, circa quas eandem regulam repetimus, quam supra de personis protectorum attulimus in medium, omnes nimirum in Clientelam suscipi posse, qui non prohibentur, per rationes th. 21. allatas. Prohibentur autem in genere omnes Malefici, Criminosi, & ob atrocitatem criminum infames, interest enim Reipub. ut Criminosi puniantur potius, accrimina eorum detegantur, quam protegantur. L. 18. pr. ff. de Injur. L. 13. pr. de Offic. Præs. quod ita in genere præmittendum fuit.

28. In specie vero prohibentur, (1) Rei Criminis læsæ Majestatis Divinæ, quales sunt Malefici, Sortilegi, Lamia & Striges, quos omnes Imp. Constantinus: in L. 7. C. de Malef. & Mathem. humani generis inimicos appellat; imo pro creaturis Diaboli habentur, arg. c. Qui sine. xxvi. q. 2. (2) Rei Criminis læsæ Majestatis humanæ, in specie sic dictæ, quod committitur, cum alio quam perduellionis animo, in Imperato-

rem

rem vel Rempub. quid dolose machinatur. L. 6. & ult. ff. ad
L. Jul. Majest. C. I. A. lib. 48. tit. 4. th. 2. (3) Rei criminis per-
duellionis, quando quis hostili animo adversus Principem,
vel Rempubl. animatus est, d. L. ult. ff. ad L. Jul. Majest. (4)
Homicidæ voluntarii, ita ut etiam ex templis, ad quæ confu-
giunt, ad sumendum ab ipsis supplicium extrahi possint, textu
expresso, in c. r. x. de Homicid. (5) Latrones, Germanis **Siraf-
senräuber vnd Mörder** / cap. 6. x. de Immun. Eccles. (6) Assassi-
ni, vulgo **Meuchelmörder** : c. r. in fin. de Homicid. in 6. (7) No-
cturni depopulatores agrorum: d. c. 6. x. de Immunit. Eccl.
(8) Deficientes ab exercitu & Transfugæ, vulgo **Aufreisser vnd
Überläuffer**. L. 14. ff. ex quib. caus. Mai. L. 3. §. fin. ff. ad L. Corn.
de Sicar. L. 8. §. 2. & L. 38. §. 1. ff. de Poen. & simil. (9) Explora-
tores, secreta renunciantes, d. L. 38. §. 1. ibi. consiliorum no-
strorum renunciatores, ff. de poen. (10) Milites circumfora-
nei, **Kottirer / Gartirer / Herrenlose Knecht vnd Landläuffer**.
Constit. Pac. Pub. de An. 1548. §. **Wo sich auch** fol. m. 361.
Const. Ferd. in Recess. Aug. An. 1555. §. **vnd damit**, fol. m. 401.
(10) Cingari, vulgo **Zigeuner** / inutile & vagum illud homi-
num Genus, de quibus extat textus in Ord. Pol. Francof. An.
1576. tit. 28. ibi. **Derjenigen halben / so sich Zigeuner nennen/
vnd hin vnd her in den Landen ziehen / gebieten wir allen Churz-
fürsten vnd Ständen / (qui omnino ordinarii Protectores in
Imperio existunt) bey den Pflichten / damit sie dem Heyl. Reich
verwandt / ernstlich / vnd wollen / daß Sie hinfüro dieselben Z-
geuner / nach dem man glaublich anzeig hat / daß sie Erfahrer /
Verräther vnd Aufspeher seyen / vnd der Christen Land dem
Türcken / vnd anderen der Christenheit Feinden verkundschaft-
ten /) inn vnd durch ihr Land nicht ziehen / handeln noch wands-
len lassen / noch ihnen dessen Sicherheit vnd Geleht / auch kein
Passport geben.** (11) Banniti ab Imperio, de quibus Gail. de
Pac. Publ. lib. 2. cap. 1. in Definitione Bannitorum asserit, à
nemine illos in Clientelam, fidem, aut Amicitiam recipi de-
bere (12) Excommunicati, quia Bannitis æquiparantur, juxta

Gail. de Pac. Publ. lib. 2. cap. 1. n. 26. in pr. & ea quæ supra. th. 26. n. 2. retulimus. Limitationes tamen quoad Bannitos, & Excommunicatos vide apud Martin. Mager. à Schönberg/ de Advoc. Arm. cap. 8. n. 156. & seqq.

29. Res huc pertinentes sunt regulariter Clientum omnes, Bonum siquidem est, res pati arbitrio gubernari ejus, cui corpus & persona ipsa committitur: arg. L. 8. C. de Pact. Convent. L. 2. C. ne fidejus. dot. dent. sumpto argumento à Majori ad minus, non debet enim cui plus licet, quod minus est, non licere L. 21. ff. de R. J. Nisi speciali pacto cautum fuerit, ut res certa in protectionem suscipiatur, vel ex omnibus bonis unica excepta sit, pacta siquidem dant Legem Contractibus, L. 7. §. 5. ff. de Pact. L. 1. §. 6. ff. Depos.

Forma.

30. Forma Advocatiæ consistit, quod Conventionalem quidem attinet, in mutua pactioe Advocati, & Clientis, cum enim hic duo pluresve in idem placitum consentiant, pactioe intercedere necesse est, L. 1. §. 2. ff. de pact. quo casu etiam inter absentes & per epistolam constitui poterit, arg. L. 2. pr. ff. eod. vel etiam in forma stipulationis, quæ quandoque inter partes intercedere solet, unus etenim protectionem, alter pretium, si ita convenerit, aliàs honorem se exhibiturum promittit, quod vocabulum in dubio casu stipulationem præsupponit. §. 16. J. de inutil. stipulat, quo casu inter absentes contrahi non poterit, stipulatio enim præsentiam utriusque tum stipulantis, tum promittentis præcise requirit, L. 1. pr. §. 1. ff. de Verb. Obl. §. 11. J. de Inutil. stip.

31. Secundo accedit ad Formam Advocatiæ, quod vel simpliciter & pure, vel sub conditione contrahatur, illo modo præsens est, & cum principali negotio initium capit. §. 2. 3. J. de V. Obl. L. 56. §. 4. L. 118. §. 1. ff. eod. L. 213. de V. S. hoc modo sub conditione differtur, quæ si existat, à tempore existentia initium sumit, si vero deficiat, nunquam constituta censetur. §. 4. J. d. t. ea enim pendente dies nec cessit, nec venit. d. L. 213. pr. ff. de V. S. quo referri possunt, quæ in materia de Verborum obligati-

obligationibus, ratione obligationis puræ & conditionalis, possibilis & impossibilis, item potestativæ & casualis, & aliarum fusius tractantur, quæ brevitatis studio omitto, de his autem videre licet. C. J. A. l. 45. tit. 1. th. 36. & seqq.

32. Tertio contrahitur ratione Temporis, ex certo tempore, vel ad certum tempus: Ex certo tempore concepta dicitur, quando ita concipitur, ut Advocatus post certum & definitum tempus, ut puta post decem annos, aut à decimo anno ad defendendum obligatus esse incipiat, L. 44. §. 1. ff. de O. & A. Ad certum tempus, si usque ad decem annos, aliudve certum & limitatum tempus, d. L. 44. §. 1. vide & locam. ad §. 2. J. de V. Obl. lit. a.

33. Quarto ad Formam pertinet, quod contrahatur vel simpliciter, vel cum adiectione Jurisjurandi, sicut Rex Gallorum in Inauguratione Rhemenfi Prælati jurat, se defensurum Ecclesiam, cujus formulam vide apud Bodin. 1. de Repub. c. 8. p. m. 138. in pr. insuper prohibitum non legimus inter partes conveniri posse, ut juramentum ab utraq; parte præstetur, unde per rationes & ll. supra th. 21. allatas, permissam esse ejusdem generis conventionem asserimus.

34. Quinto fieri potest cum Cautione, quamvis id de necessitate non sit, inter bonos siquidem data fides, & accepta vicissim, ad mutua inter ipsos pacta conventa satis momenti habere, plerisque videtur, uti loquitur Bodin. 5. de Repub. c. 6.

35. Sexto Poena quoque interdum adjicitur, majoris nempe securitatis gratia, quæ de re elegans est textus in §. ult. J. de V. Obl. ubi dicitur, non solum res in stipulationem deduci possunt, sed etiam facta, ut si stipulemur aliquid fieri, vel non fieri. Et in his stipulationibus optimum erit poenam adjicere, videatur Schneidevv. ibid. n. 7. & jungatur. L. ult. ff. de Præd. stip. qui textus ita rem declarant, ut dubitandi rationem vix admittant.

36. Septimo sæpe etiam Administrationis inspectionem adjunctam habet, quam nostra lingua *Rastenvogten* appellat.

ra. th.
os, &
g/ de
om.
s, cui
Con-
lafori
, non
ut res
unica
7. §. 5.
iona-
entis,
t, pa-
etiam
pr. ff.
inter
r pre-
omit-
ppo-
trahi
tipu-
Verb.
d vel
modo
J. de
modo
entia
ctur.
. 213.
orum
liga-



pellamus, sumpto vocabulo *Rasten*/continenti pro contento, re-
reditibus scil. temporalibus, qua de re vide Wehner. Obs. Pra. &
verbo *Bogten*/ita ut sine horum Advocatorum consensu res
Ecclesiæ alienari non possint. arg. c. Filiis xvi. q. 7.

37. Octavo interdum Jurisdictionem aliquam admix-
tam habet, sive Criminalem, sive Civilem, aut etiam utram-
que, usu longo, pacto, aliove titulo acquisitam, Rosenthal,
Synops. feud. lib. i. c. 4. concl. 14. n. 4. ubi subjungit, quod &
optima rerum magistra, quotidiana experientia testetur, in
quibusdam Advocatis ita obtentum, ut Advocati Jus dicant
inter subditos ipsius Ecclesiæ, pro Episcopis & Abbatibus.

38. Ad Formam ulterius Nono refertur, quod aut per-
sonale jus sit, quodq; personam ipsius contrahentis non trans-
greditur, sed cum eadem extinguitur. arg. L. 12. §. 1. ff. de Prec.
aut Hæreditarium, quando nimirum in constituendo jure pa-
tronali, protectio non tantum in personam ipsius patroni
contrahentis, sed in Hæredes ac Successores quoq; ipsius con-
cepta, atque directa fuit.

Finis.

39. Finis triplici modo considerandus venit, Primo
Generatim, respectu ipsius Advocatiæ, Secundo ratione Pro-
tectoris seu Advocati, & tandem Tertio contemplatione Cli-
entum, seu protegendorum.

40. Primum igitur Membrum quod attinet, finis il-
lius duplex est, principalis & intermedius. Ille est salus & in-
columitas Reipub. ne videlicet potentiores Juribus & liberta-
tibus imbecilliorum insidiantur, unde turbarum & conjura-
tionum causæ, & dissipandi status publici, pacisque publicæ
turbandæ occasio sequeretur, salus siquidem populi semper
suprema Lex esse debet, ad quam omnes fines collimare de-
bent. arg. L. 5. ff. de Decret. ab Ord. fac. Intermedius ad superio-
rem accedens, est ipsa protectio, seu defensionis præstatio, ea
namque viam sternit, qua ad Finem principalem seu ultimum
pervenitur.

41. Ratione Protectoris Finis iterum duplex est, Ulti-
mus

213
timus & Intermedius, Ille est ipsa Gloria Dei, ad quam omnes
hominum actiones dirigi debent, hic vero ut Patronus Clie-
ntes suos incolumes atque indemnes præstet, hinc Advocatus,
qui munere suo fideliter fungi vult, finem hunc quacunque
potest ratione curare debet, omnemque suam in hoc indu-
striam adhibere, ut Clientum incolumitatem conservet, eo-
rumque bona facta testaque tueatur.

42. Finis tandem ratione Clientum fere idem est cum
eo, quem in Protectore asseruimus. Ultimus nimirum Gloria
Dei, Intermedius autem Salus Reipub, nisi quod differentia
in hoc poni possit, quod protectores finem habeant protegen-
di, clientes autem protegi, conducuntur siquidem, sive rogan-
tur subsidia Tutelaria à Clientibus, ad tuitionem incolumita-
tis suæ, & conservationem rerum suarum, ita ut mediante illo
Clientelari nexu, mutua inter potentiores & minus potentes
concordia foveatur.

43. Modo de effectu juris nostri nonnulla subjicienda *Effectus*
sunt, quem duplicem facimus sive statuimus, respectu habito
vel ad Patronos, vel ad Clientes, de utroque autem hanc Ge-
neralem præmitimus regulam, Pacta inter utrosque inita
omnino servanda esse, cum fidem fallere grave sit, juxta L. 1.
pr. ff. de Constitut. pecun. præcipue cum ex parte Illustrium
Personarum interponuntur, quo casu fidei interpositio Jura-
menti loco habetur. Gail. 2. Obs. 59. n. 2. & 3. Secundo, si Cli-
ens pro Defensionis munere, certum quoddam salarium, sive
in pecunia numerata, sive quacunque realia consistens promi-
serit, id à Cliente omnino solvendum est, pacta siquidem dant
legem Contractibus. L. 1. §. 6. ff. Depos. Gail. 1. Obs. 54. nu. 2.
Reverentiam Tertio, & observantiam Clientes Patronis suis
debent, exemplo Libertorum erga Patronos. L. 9. ff. de obseq.
Parent. & Patron. præst. Nec minus Quarto, quod Juramen-
tum, quod nostra lingua *Schirmpflicht* appellamus, consue-
tudine ita exigente, præstare Patronis teneantur, quod tamen
Jurisdictionem ex parte Patroni, & subjectionem respectu
C clien-

clientum non inducit, juxta vulgatum illud, **Schutz vnd Schirm gibt keine Obrigkeit.** Gail. d. 1. obs. 54. n. 1. nisi forte Territorii ratione, si bona nimirum in Territorio Patroni sita sint, quo casu Patronus utpote territorii Dominus Jurisdictionem quoque habebit, quod vel solus Author **Wertheimischen Gegenberichts/** durch des **Closters Brumbach** situation, aperte ostendit, ibi. **Wann nun dasselbige Kloster Brumbach/ in der Graffschafft Territorio, Obrigkeit vnd Herrlichkeit vnfehlbar erbawet/ gelegen/ vnd damit ringsweis umbfangen/ auch zunächst/ vnd nicht über ein Sund vñ dem Stainhaus Werheim: situirt: Als hat auch ein regierender Graff zu Werheim/ außer denen ex fundatione vnd dotatione erlangten Rechten indistincte alle Botmäßigkeit daselbst/ wie an allen andern Orten der Graffschafft/ &c.** Quo nomine quoque Abbas & Capitulum ejusdem Coenobii per Mandatum Rudolphi. 11. eo quod comiti collectas solvere recusarant, in duplum condemnati fuerunt. 22. Septemb. An. 1586. Alere denique Ecclesia Patronos suos ad paupertatem redactos tenentur, secundum Gloss. in c. 25. x. de Jur. Patron. cujus sententia hisce continetur verbis.

Patrono debetur honos, onus, utilitasque.

Præsens ut præsit, defendat, alatur egenus.

Addantur ea quæ habet. Coll. Jur. Arg. lib. 37. tit. 14. th. 10. n. 3.

44. Effectus ratione Patronorum hi fere sunt (1) Jus ac potestas defendendi in Clientelam susceptos, contra quoscunque, illos illegitimo modo & injuria aggredientes. arg. L. 55. & 155. §. 1. de R. J. (2) Jus exigendi salarii, si de eo solvendo quid pactum sit, per ea quæ jam tradita sunt th. præced. n. 2. (3) Jus protegendi res & bona Clientum, Regulariter omnia, juxta rationes supra in Materia objectiva th. 29. allatas.

Contraria. 45. Absoluto itaque hoc modo tractatu de censentariis, ordinis ratio exigit, ut monstremus quomodo Advocatiæ jus rite constitutum, rursus dissolvatur, quod pro diversitate specierum, supra à nobis th. 12. allatarum, variis modis fieri potest,

potest, nos eundem ordinem quem supra d. th. observavimus, hic repetemus.

46. Legalis igitur Advocatia, cum deferatur aut à lege, vel Canone, propter foundationem, Dotationē, vel alios modos consimiles, c. 13. de Elect. in 6. can. Filiis, & can. Monasterium. xvi q. 7. asserimus, si causa aut ratio Legis introducendæ & introductæ deficiat, vel propter omnimodam destructionem, extinctam dotem, vel aliam rationem fundamentalem, ipsam legem deficere, legis siquidem ratione cessante, cessat quoque ejus dispositio. arg. L. 13. ff. de Adopt. ac per consequentiam necessariam ipsum jus ex lege ortum. arg. L. 52. §. 1. C. de Episc. & Cler. L. 6. C. de Pact. inter Empt. & Vend. c. 7. in fin. x. de Voto. Conventionalis autem, cum consensu mutuo, & libera voluntate contrahatur, ac unumquodque eo modo dissolvatur, quo colligatum est, L. 35. 100. 135. ff. de R. J. contrario consensu, & conventionem de Advocatia solvenda, hoc jus perimi asserimus, veluti ex parte Advocati Remissione, cum beneficio sibi competenti quilibet possit renunciare. L. 29. C. de Pact. & ex parte Clientū resignatione, quid enim obstaret, quo minus illi, qui sua solius causa protectorem elegerunt, pro libitu rursus illi tutelæ renunciare, atque in pristinam suam laxitatem sese recipere possint, arg. L. 2. §. 3. ff. de Orig. Jur. quod enim consensu contrahitur, contraria voluntate rursus dissolvitur. §. ult. J. quib. mod. toll. obl.

47. Mandata Advocatia, quemadmodum mutuo consensu & voluntate Mandatis, & Mandatarii contrahitur, ita quoque contrario consensu & voluntate perimitur. d. §. ult. J. quib. mod. toll. oblig. veluti revocatione, & aliis modis, quibus Mandata revocari solent, de quibus vide C. J. A. lib. 17. tit. 1. th. 20. per tot.

48. Cum Administratione conjuncta, vel Jurisdictione, perimitur iis ipsis modis, quibus Advocatiam simplicem perimi modo diximus, cum enim Administratio Jurisdictioque adjacentia sint ipsius Advocatiæ, principali sublato, & ista tolli

neceſſe eſt , videantur Textus cum copia adducti à Barboſa cum Analect; Viri Magnif. Nobiliſs. & Conſultiſs. Dn. Doct. Tabor, Patroni & Promotoris mei Honoratiſs, lib. 14. cap. 79. Axiom. 1.

49. Temporalis finitur lapſu temporis adjecti, temporis ſiquidem expreſſi & limitati ea viſ eſt. ut qui ad tempus obligari voluit, non poſſit obligatus retineri poſt tempus. L. 8. ff. de poſtul. modo cit. Barboſ. lib. 18. c. 8. Axiom. 18.

50. Personalis extinguitur, cum perſona ipſius Advocati, vel Clientis: Personalia ſiquidem perſonam non tranſgrediuntur. §. 6. J. de Jur. Nat. Gent. & Civ. L. 1. §. 2. ff. de Conſt. Princ. neque ad hæredes tranſeunt, L. 13. ff. Solut. Mat. Hæreditaria eo modo perimitur, quo ſupra conventionalem perimi diximus.

51. Superior ſolvitur eo modo. quo jam dictum eſt conventionalem perimi, Inferior autem, cum delegata videatur à ſuperiore, hic repetenda ſunt ea, quæ circa Mandatam. th. 47. allata ſunt.

52. Eccleſiaſtica Advocatiæ ratione huc referenda ſunt ea, de quibus in th. 46. circa legalem egimus, ratione vero ſecularis, quæ de conventionali ibidem relata ſunt.

53. Feudalis amittitur iis modis, quibus Feuda alia amittuntur, veluti per Feloniam, Rei interitum, & alios modos, de quibus hic agere nimis longum foret, brevitatis cauſa benevolum Lectorem ad Gothof. Ant. Diſp. Feud. II. ubi eleganter & Methodice hac de re diſſerit, remittimus.

54. Eam autem quæ eſt cum incolatu, diceret quis difficilius perimi, cum ii, qui ſe in diſtrictum alicujus conferunt, fiant quaſi ſubditi ejus, & apud eundem forum ſortiantur. Nam proprie quis ſubditus dicitur ratione Domicilii, habitationis, L. 20. ff. ad Munic. L. 5. C. de Incol. lib. 10. t. 39. Et domicilium Jurisdictioni provinciali habitantes ſubjicit. Gail. 2. Obſ. 35. n. 2. Verum cum iſtis locis agatur de aliâ ſpecie incolatus, quando nimirum animo domicilium mutandi, perpetuoque

21
contra violentias adversariorum tueri debet si oppugnetur, uti Bodin, recte monet: 5, de Repub. cap. 6. p. m. 906. eadem ratione Clientis quoque ab Advocato suo defendi debet, uti definitio nostra habet.

61. De jure quoque Patronatus Affirmatus quarto, & illud inter Affinia numerandum esse, sive loquamur de Jure Patronatus Ecclesiastico, sive Prophano, perinde n. ut Patrono Ecclesiastico competit potestas, imo ipsi incumbit ius defendendi Ecclesiam, per tradita C. I. A. lib. 37. tit. 14. th. 10. n. 2. & Patrono à liberto obsequium, & reverentia. C. I. A. ibid. th. 5. n. 4. ita quoque Advocatum nostrum clienti, & contra, obligatum esse, supra th. 43. & 44. monuimus.

62. Quinto Ganerbinatus aliquatenus cum iure nostro concordat, qui nostratibus vocatur **Ganerbschafft / die Ganerben** / inter quos iuteredebat societas, firmitas, & Confœderatio, sui defendendi causa coita, certisque adscripta Legibus, quas Leges appellarunt **den Burckfriden** / quod ius maxime tum temporis in usu fuit, cum Const. Pac. Pub. nondum publiciata esset, **da das Faustrecht noch im Schwang gienge** / videatur Wehner. in observationibus Practicis voce **Ganerben** per tot. Quam igitur affinitatem cum iure nostro habeat, ex superioribus satis superque constat.

63. Feudorum quoque jus sexto, maximam affinitatem cum Advocatia habere, nemo ignorat.

64. Septimo Asylorum, sive Ecclesiasticorum, nobis **Kirchenfreyheit** / sive prophanorum, iuri nostro Affine est, si vel protectionem saltem quæ Asyla hæc confugientibus præbent, quis respicere velit, videatur t. t. C. de his qui ad Eccles. confug. & t. t. C. de his qui ad stat. confug. Atq; hæc præcipua affinia sunt Advocatiæ ipsius, de quibus pro institutiratione satis.

65. Cum quibus autem Protectores comparentur, de his quoque breviter agendum est, inter quos primo loco occurrunt Advocati Forenses, quemadmodum enim hi clientes suos in foro defendere solent, ita quoque Patroni clientes suos
contra

23.
contra vim potentiorum armis quoque defendunt, quæ de re
est textus elegans in L. 14. C. de Advoc. divers. Judici. qui om-
nino videndus.

66. Secundo Patroni Ecclesiarum cum Advocatis nostris
comparantur, eo quod ut hi clientes suos, ita & illi Ecclesias
cujus patroni existunt, ab omnibus oppressionibus defendere
debent: c. filiis. xvi. q. 7. & c. Præterea. 2. de Jur. Patron.

67. Tertio, comparatio elegans est inter patronum liberti,
& Advocatum nostrum, sicut enim Patronus operas exigere
potest à liberto, quæ inter manumittendum ipsi impositæ
sunt, t. t. C. de Oper. libert. & libertus cogitur honorem exhi-
bere patrono, L. pen. C. d. t. idem quoque fere circa patronum
nostrum, & quod ipsi pene eadem à Cliente debeantur supra
th. 43. ostendimus.

68. Quarto comparatur quoque cum Vasallo, ratione de-
fensionis: c. 1. de Form. fidel. 2. F. 6. & omittendæ offensionis,
tam in propria persona, quam per alium. d. c. 1. & tit. seq. quæ
etiam in Advocato nostro supra ostendimus.

69. Tutor quoque Advocato comparatur, de quo supra
th. 58. egimus, cujus rationes huc referimus, brevitatis studio
eas non repetentes.

70. Denique comparantur quoque Advocati nostri cum
Militibus armatæ militiæ, per quos domi forisque Corpora &
bona nostra defendimus, quam comparationem ita claram
esse arbitror, ut ulteriore explanatione non egeat.

71. Tertio loco Affinia ratione Clientum paucis perstrin-
genda sunt, è quibus primo loco veniunt liberti, operarum &
honoris ratione quem Dominis suis exhibere tenentur: C. J. A.
l. 37. tit. 14. th. 6. n. 4. supra th. 43. n. 3. (2) Pupilli, ratione defen-
sionis, de quibus videatur: th. 46. (3) Clientes Advocatorum
Forensium, ubi repetenda ea, quæ th. 53. attulimus; atque hoc
modo finem huic Dissertationi imponimus, Deo omnipoten-
ti pro præstito auxilio gratias agentes.

F I N I S.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs and is mirrored across the page.

N
M
I







(X225 7025)

VDA7







DE
ADVOCATIA
ARMATA
DISPUTATIO INAUGURALIS.

15
16544
21

QVAM
Divini Numinis annuente Gratia

*Ex Decreto & Autoritate
Magnifici, Nobilissimi & Amplissimi, Facultatum
Ordinis, In celeberrima Argentoratensium
Universitate,*

PRO
Insignibus, Privilegiis, & Immunitatibus
Doctoralibus, in utroque Jure
obtinendis

*Solemni ac Publica Disquisitioni
submittit*

JOHANNES MARBACHIUS
Argentoratis.

Ad D. 20. Aprilis.

☉:)(o)(:☉

ARGENTORATI
Typis BERNEGGERIANIS
ANNO .clb lbc LIV.